



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118847

§. 73. Aliud Hugonottarum conventiculum jam antea Alesiaë habitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

Sæc. XVII Catholicos in Aquitania, Narbona &
A. C. 1620 Rupellis inhumana crudelitate sævie-
 runt.

§. LXXIII.

*Aliud Hugonotarum conventiculum
 jam antea Alefiæ habitum.*

Calmet Hist. Univ. l. 151. Gramond. l. c. Synod. Nat. Ref. p. 138. Interea vero Calvinistæ Synodum, ut vocabant, Nationalem Alefiæ in Occidania die prima Octobris celebrabant; in ea Dordracensis Conciliabuli acta rata habebant, simulque a Bearnensibus rogati, ut Synodum Rupellis habere possent, a Rege facultatem petere decreverant, mutata tamen postmodum sententia eo potissimum curam intenderunt, ut Privatiensibus Calvinistis necessaria ad bellum subsidia subministrarent: communibus igitur suffragiis collata est in publicum pecunia in bellum sumptus, & quidem Montalbanum triginta octo librarum millia, Castrum Albigensium viginti octo, Amilianum sex millia obtulit, singulæ vero Provinciæ, ubi Conventus agebatur, stipendium militare in novem Menses erogavit, præter privata subsidia viritim collecta, adeo ut Regi ingens belli moles incumberet; his enim suppetiis freti Privatienses Lestrangium Regium Belliciducem, qui in Vivariensem Provinciam,

ciam, & Privatiensem urbem Catho-
 licæ Religionis usum revocare jubeba-
 tur, aperto Marte aggressi sunt, aucto-
 que suorum numero regios milites ex
 urbe in arcem confugere & decimo quin-
 to obsidionis die deditioem facere com-
 pulerunt, quamvis postea a Mommo-
 rantio Duce, ut meminimus, ad obse-
 quium revocati fuerint. Ceterum Ale-
 siani Hugonotæ conciliabulo suo die
 secunda Decembris finem imposuere,
 Oratoribus autem ad suas quisque ur-
 bes reversis negotium dederunt, ut in
 transitu omnes urbium Magistratus, &
 Nobiles, ceterosque sectæ socios admo-
 nerent, destinatum esse bellum com-
 muni suffragio, conventumque in Ale-
 siana Synodo, ut collapsi reficerentur
 muri, validisque propugnaculis muni-
 rentur urbes, ac denique pro communi
 causa junctis viribus, ac uno omnium
 impetu bellum gereretur. Sanguinaria
 hæc Calvinistarum consilia omnino con-
 demnabat sana ratio, approbat tamen
 firmandæ sectæ furor, qui, fune-
 stas hæc ideas Prædicantibus sævi-
 tiam, Religionis obtentu, tegere assue-
 tis, atque alienæ dominationis impa-
 tientibus implantabat, necnon ab his
 postea velut a primæva origine vene-
 num suum in populos tam potenter dif-
 fundebat, ut non sine humanæ naturæ
 hor-

Sæc. XVII.
 A. C. 1620.

Vid. Supra
S. XXII.
Liebr.

Sæc. XVII. horrore comprehendi haud potuerit, A.C. 1620. paucissimos ex hisce Sectariis fuisse, qui sese humano sanguine inebriare non certassent, haud alio ex fine, nisi ut sectam tuerentur, quam tamen ipsimet duntaxat veram credidere, quia privatis eorum commodis, innatoque Catholicos opprimendi studio tum deserviret, de cetero autem sat persuasi essent, quod ejusmodi regerentur regulis, quas sicut nonnisi ignorantia & ambitio adinvenit, & effrænis vitæ licentia hucusque fovit, ita denique nonnisi seditio, ferrum & arma eas tueri valerent.

§. LXXIV.

*Principum Protestantium Conventus
Ulmae habitus.*

Lotich. rer. Germ. l. 5. cap. 9. Brachel. Hist. lib. 1. Adlzreit. p. 3. l. 5. Cum interea Hugonotæ in Galliis de proximo in Regem suum bello confilia cuderent, nil propius in Germania erat, quam ut Cæsaris, foederatorumque Principum copiæ in aciem educerentur, & præprimis quidem Maximilianus Bavarix Dux cum exercitus sui plusquam triginta millibus armatorum, & quingentis, Ductore Joanne Tscherclasio Tillio Lauingam inter & Ginzburgum ad Danubii ripam castra posuit. Strepitu Boicorum armorum excitati Unitorum Protestantium Duces, Onolspacensis & Durlacensis